



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

10. Dies Octobris. Si vis omnem solicitudinem exuere, quidquid veteris ne  
eveniat, eventurum utique propone. Seneca Epist. 24.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

Octob.

Tessera.

803

astraxerit, dicas quod mulier Spartana. Sciebam me mortales genuisse. Cum pecunia diffuxerit: sciebam non semper fore meum, quod solo usu fuerat meum: sero animis ad periculorum patientiam post pericula instruitur. Non putavi hoc futurum: nunquam hoc eventurum credidisse. Quare autem non n? Quae sunt divitiæ, quas non egestas, & famæ, & mendicitas à tergo sequatur? Quæ dignitas: quam nonnullæ maculæ, & extrema contemptio comitetur? quid regnum est, cui non parata sit ruina, & proculatio, & Dominus, & Carnifex? nec magnis intervallis divisa, sed horæ momentum interest inter Imperium, & exilium, immo inter solium, & sterquilinium. Scito igitur omnem felicitatem desultoriam esse, & quicquid ulli accedit, posse & tibi accidere. Tantum cavendum est, ne quid tibi subito accidat. Subitæ mutationes lœdunt corpora, ita & animos sauciant. Vicissitudines animi subeunt paulatim: non saltu ab hyeme in æstatem itur; intercedit ver; ne repentinus ardor quasset valetudinem. Meditatio præparat animos ad malorum æstus, sicut vernus tepor artus. Altè ergò illud tibi imprime. Tela prævisa minus feriunt: cui calculum adjicit Poëta:

*Se minus afflictum sensit, qui prævider iactum.*

## IO. DIES OCTOBRIS.

Si vis omnem solicitudinem exuere, quidquid venaris ne eveniat, eventurum utique propone. *Seneca Epist. 24.*

Ecc 2

I. Aliud

A

Liud est subsidium Intellectus  
adversus omnia adversa sem-  
nire, non tantum futuron  
præmeditatione, sed expec-  
tione. Itaque veretis ne evertiant. Expecta tanquam  
eventura. Sicut peregrino peregre profecturo ex-  
pectanda sunt, quæ in Itinere solent contingere: feda  
tempestas, viæ fractæ, ac difficiles, hospitia egena,  
caupones fallaces, importuni, ac molesti eothites, ex-  
haustum marsupium, cœlum ambiguum, venti, plu-  
via, æstus, frigora, fatigatio, & ejusmodi complures  
miseriae; quæ sanè peregrino tam graves non vide-  
buntur, si possit dicere: expectavi hæc omnia: im-  
providæ lamentantium voces sunt: Non expectabam  
hunc casum: Quis hoc putasset: sperabam meliora. Non  
sunt sapientis hæc querelæ, omnia quæ alius fuissent  
inexpectata, etant expectata Anaxagoræ, idèo & ipse  
patientiæ fuit expectatissimæ. Hic Athenis captus,  
geminos accipit nuntios, sed utrumque tristissimum.  
Primus mortem ei decretam denuntiavit. Cui Ana-  
xagoras: Jam pridem, inquit, sententiam tolit natu-  
ra, tam in me, quam in eos qui me damnant. Alter  
nuntius, filios interisse significabat. Cui Philosophus:  
scivi equidem liberos meos non esse immortales. Le-  
thalia hæc vulnera erant, sed quia expectata, Anax-  
goram vultuerare non poterant.

H. Illud constantiæ proprium est, ad omnia state  
omnia sibi putat restare. Ita prævenit omnia terribi-  
lia expectatione sua, ut cuique dicat. Serò accedi-  
diu mansi in spe, nunquam in timore. Subita illa vul-  
nera Jobo, fera fuerunt, quia expectata. Utrum  
plus miraberis? Obstinata ne ejus constantiam, &  
inflexi-

infelixibilem frontem, cum spoliatus opibus, armentis, servis, prole, non molliter exutam, sed laceratam fortunam, nudus mansit, ut sanie innataret? An cum rebus omnibus affluens, adulante sibi per omnia fortunam, persuasum fuisse eventura mala, quae evenire posse nemo sanus putaret. Nullus casus ei repentinus venit securo regiis gaudiis, & divitiis: opulento possessiōnibus, fortunato tot prolibus. Vacabat, fortasse, dices, ad cogitatus otiosos, quippe extra potentiam, aut morem fortunam, & invidiae vota. Audi loquentem.  
(a) *Timor, quem timebam evenit mihi; & quod verebar accidit.* Aequum miror illum timuisse, ac pertulisse. Quænam major gloria fuit, tot mala fuisse ab illo fortiter tolerata, an prudenter expectata? Utriusque fortunam fuit doctor, prosperæ, adversæ: & que prudenter, & timidè bonam tulit, quam patienter, & animosè malam. Novit cavere in illa, audere in ista. Unde tanta illi inter tot diversos casus fortunæ inæqualis æquanimitas? Ex malorum quæ accidere poterant expectatione.

III. Ferebatur in ipsis ulnis felicitatis, ei blandientis ut nutrix cum infante solet. At ipse cum nulla mutandæ sortis suspicio erat, expectabat omnia adversa, ad illam se adornans: & prævidendo quasi præludens. Funestam igitur horribilium scenam oculis suis subjiciebat. Quid erit, sibi dicebat, si tibi rerum tuarum dimidium auferet casus? Quid si armentorum partem? quid si ignis cælitus demissus omnes greges cum pastoribus absorberit? quid si his accedit, jactura camelorum, & custodientium servorum? quid si malorum cumulus, liberorum charo-

Eee 3.

rum

(a) L. 3.25.

rum morte surgat, & fato iniquissimo? quid, si hoc acerbum poculum invidentis fortunæ, non per hau-  
stus aliquot, sed uno spiritu es compellendus exfor-  
bere? Quid si omnem istam feriem calamitatum,  
non in anno, in mense, non in hebdomade, non  
die, sed in hora una, impetu concordi irruat? si mino-  
ri spatio, quam cogites? Quid, si post istas saevias  
unum tui perfugium sit, non nosocomium, cum Re-  
sis, sed sepulchrum adhuc te superstite? nec istud hu-  
manum, sed caninum, foetidum sterquilinum? Ubi  
omnis tua familia, tuis ipsis visceribus hospitata, sint  
vermes, ut qui mortua corpora absumunt tecum  
spiritu exedant: ut non fortuna modò, sed natura  
iniqua tibi sit, & extra morem suum te spirantem  
corrumpat? tam acerba, ut solum tibi mortem neget,  
ut omnia adeò tibi defecerint, & ipsum deficeret?  
Num propterea turbabitur mens tua, deturbabitur  
animus? Nequaquam, inquit, pluris enim animum  
meum habeo, quam pecora, pluris tranquillitatem  
meam, quam turbam famulorum. Colligat suas co-  
pias fortuna; nova torquendi inventa excogitet:  
experiatur summum quod potest; pluant infortunia,  
omnia expecto. Hoc secum computabat, hoc se-  
cum decernebat, pugil ille Dei. Itaque malorum  
futurorum expectatio, erat illi quasi quædam ante  
pugnam detertiorem, velitatio. Hinc si timeas for-  
tunæ tela, illa provide prævidè, & intrepidè expecta.  
Sic hebetabis illorum aciem: Nam.

*Tela nocent levius visa volare prius.*